INNOCENTIUS PP. X

Morbio 27 (37)

Dilecte fili salm̄ et aplicam̄ benedictionem. Deuotionis et fidei singularis, qua Nos et Romanam reuereris Ecclesiam sinceritas promeretur, ut ea tibi fauorabiliter concedamus
per quae animae tuae saluti uberius consuli ualeat. Cum itaqz Nos tibi, qui a dilecto filio nobili adolescente Carolo Mantuae, et Montisferrati Duce ad praestandam Nobis
et Aplicae Sedi eiusdem Caroli Ducis nomine debitam obedientiam missus fuisti, imaginem Domini nostri JESV Christi Crucifixi dono mittendam duxerimus. Idcirco
tibi, ut quamdiu imaginem praefatam penes te habueris, si semel saltem in hebdomada, aut officium diuinum ordinarium, aut Bmae Virginis Mariae, aut defunctorum
aut septem psalmos poenitentiales, aut graduales, aut Coronam Domini, uel eiusdem Bmae Virginis, aut tertiam partem Rosarij recitare, aut Doctrinam Christianam
docere, aut infirmos alicuius hospitalis, uel detentos in carcere uisitare, seu pauperibus Christi subuenire consueueris, ac uere poenitens et confessus Sacerdoti ab Ordinario
approbato Sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpseris in aliquo ex diebus infractis, nempe Natiuitatis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Penthecostes cum
duobus sequentibus, Corporis Christi, Natiuitatis Sancti Joannis Baptae, Sanctorum Aplorum Petri et Pauli, Assumptionis Bmae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, Dedi-
cationis propriae Ecclesiae patroni uel tituli Ecclesiae, atqz eo die pias ad Deum preces effuderis pro haeresum, et schismatum extirpatione, pro fidei Catholicae propagatione
Christianorum Principum concordia, atqz aliis sanctae matris Ecclesiae necessitatibus, in singulis diebus huiusmodi plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequaris
In mortis quoqz articulo si uere poenitens et confessus, ac sacra communione refectus, alioquin saltem contritus nomen JESV ore si potueris, sin minus corde deuote inuocaueris
similiter plenariam indulgentiam consequaris, utqz supradictas omnes indulgentias fidelibus defunctis per modum suffragij applicare possis concedimus et indulgemus
Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris Die XX Junij M.DCXLV Pontus Nri Anno Primo

M. A. Maraldus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871437776-19/fragment/page=0001

Dilecto filio Marchioni Cesari Guerrerio Mantuano

1645 Juni 20

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 27 (37)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871437776-19/fragment/page=0002